



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Praxis Episcopalis

Piasecki, Paweł

Coloniae Agrippinae, 1620

De Poënis, & primò de Interdicto.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61608](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61608)

5. Stylus Romanæ Curia faciat ius, per notata apud Abb. in c. bona. 1. nu. 12. de postul. pral. & in cap. ex literis. num. 6 de conslit. Dec. ibid. num. 27. & in rub. de consuet. nu. 15. Rot. decis. 564. in antiq. & seruari debet pro lege. Gig. de pens. q. 58. num. 3. idcirco merito eadem Ordinatio in Iudicijs quoque aliorum omnium Iudicum Ecclesiasticorum est seruanda.

ARTICVLVS XI.

De Pœnis & primo de Interdicto.

1. **I**nterdictum quid sit.
2. Interdictum fertur contra locum vel contra personas, vel contra vtrumq; simul.
3. In interdicto quadam Sacram. excipiuntur.
4. Clerici qui causam non dederunt interdicto, possunt sepeliri interdicti tempore.
5. Interdictus sepultus in loco sacro non est exhumandus.
6. Sepeliens interdictum incidit in excommunicationem.
7. Interdicti tempore potest celebrari Missa clauso templo semel in hebdomada.
8. Interdicti possunt intrare Ecclesiam orationis causa & concionis.
9. Interdictos vitare non tenemur in humanis.
10. Matrimonium potest contrahi tempore interdicti citra benedictionem.
11. Interdictum violans Clericus quomodo incurrat irregularitatem.
12. Interdictum, ferri non debet pro debito pecuniario.
13. Interdictum potest suspendi.

Pœnæ quas Iudex Ecclesiasticus infligere potest, aliæ sunt spirituales, aliæ corporales, & quasi corporales seu eorum quæ circa corpus, spirituales sunt primo.

1. Interdictum est, censura Ecclesiastica, qua prohibentur Diuina officia, sepultura, & Sacramenta Ecclesiastica actiue & passiuè respectu alicuius loci aut personarum. *Sot. in 4. dist. 22. q. 3. art. 1. Calder. in tract. de interd. nu. 2. Nau. in man. c. 27. nu. 164. Suarez de cens. disp. 32. sect. 1. num. 3.*
2. Fertur autem ob graue peccatum Principis, vel populi, vel etiã personæ particularis, quando aliter de facili corrigi non potest. Et fertur aliquando contra certum locum tantum, aliquando contra certum populum tantum seu

collegium, vel contra personam particularem tantum, vel contra locum & personas simul secundum diuersitates delictorum ob quæ fertur. *Authores. cit. & Couar. lib. 2. var. res. c. 9.* & quoddam dicitur generale, quando vniuersitas loci alicuius interdicitur, siue locus sit paruus, siue magnus, quoddam particulare, cum aliqua Ecclesia vel plures nominatim specificata interdiciuntur. *Abb. in c. cum in partibus de verb. signif. Et fertur communiter ob contumaciam non autem in pœnam. Suarez. loc. cit. disp. 36. sect. 3. num. 3.*

Si locus tantum fuerit interdictus, personæ loci illius si causam nõ dederit interdicto, in alio territorio nõ interdicto licitè possunt participare Diuina. Quod si populus solù fuerit interdictus,

externi licitè ibi audient diuina exclusis interdictis: ipsi autem interdicti neque ibi, neque alibi possunt adesse Diuinis, nam cum illis deambulat interdictum.

cap. si sententia. de sent. excomm. in 6.

Abb. in cap. non est, de sponsal. num. 3.

In interdicto excipitur Baptismus, Chrsimatio, Pœnitentia sanorum si causam interdicto non dederunt & satisfacere sint parati, pœnitentia infirmorum & morientium. *cap. non est vobis. de sponsal. c. responso de sent. excomm. c. quoniam. co. tit. in 6.* ita nimirum vt hæc Sacramenta ministrari possint in Ecclesia interdicta si interdictum sit generale, alioquin si interdictum sit parziale quoad vnam Ecclesiam deberet recurri ad Ecclesiam non interdictam. *Couar. in c. alma Mater. de sent. excomm. in 6. p. 2. §. 2. nu. 7. Suarez loc. cit. disp. 33. sect. 1.*

Extrema autè vnctio morientibus in interdicto denegatur, & sepultura Ecclesiastica. *cap. quod in te. de pœnit. & remiss. cap. responso. cit.* Denegantur & solemnitates conducèdi corporis, nempe cum orationibus, comitatu Cleri superpellitanti, & processionaliter vt mos est incedentis Clerici tamen qui causam interdicto non dederunt possunt sepeliri in loco sacro tempore interdicti, sine solemnitatibus & pulsu campanarum. *cap. quod in te. cit. de pœnit. & remiss.* Et Clericorum appellatione omnès personas Ecclesiasticas quo ad hunc effectum intelligi debere, deducit *Suarez loc. cit. disp. 35. sect. 1. nu. 6.* Si tamen etiam alij sepeliuntur tempore interdicti non debent exhumari. *gl. in cap. à nobis. 2. v. forma. de sent. excomm. & alia. gl. in c. si ciuitas. v. sepeliri eo. tit. in 6. Ang. v. interdictum. 6. n. 33. Suarez lo. cit. n. 20.* Sed sepelientes interdictos nominatim, incurrunt excommunicationem ipso facto, à qua

non possunt absolui nisi satisfactione præmissa iniuriam passis arbitrio Episcopi. *Clem. 1. de sepult.* sepeliens autem interdictum non nominatim licet peccet, non incurreret tamen hanc pœnam. *Abb. in cit. Clem. num. 8. Suarez loc. cit. sect. 3. num. 6.* Et sepeliens non in loco sacro, sed in campo, non incidit in excommunicationem. *Abb. loc. cit. num. 3.*

Cessante etiam interdicto, sepulti extra Ecclesiam possunt ad eam transferri seruatim solemnitatibus, si in eis apparuerint signa contritionis, seu mortui sint pœnitentes. *gl. in cit. Clem. 1. de sepult. v. eis quibus. Abb. ib. nu. 17. Arm. v. interdictum. num. 47.*

Conceditur præterea interdicti tempore vt saltem semel in hebdomada Missa celebretur pro conficiendum SS. Corporis Domini pro infirmis pœnitentibus decedentibus; dummodo celebretur ianuis clausis, interdictis exclusis, & sine sonitu campanarum. *cap. permittimus. de sent. excomm.* Diebus item Natalis Domini, Paschæ, Pentecostes, Natiuitatis B. M. V. solemniter officia Diuina celebrari possunt, etiam in præsentia interdictorum excommunicatis exclusis. *cap. alma Mater. de sent. excomm. in 6.*

Licitè etiam interdicti ingrediuntur Eccl. orationis causa, dum ibi Diuina officia non peraguntur, vel ad audiendâ concionem. *cap. responso. de sent. excomm. Abb. ibi. num. 2.* & potest ad eum finem pulsari campana, & pro Aue Maria vt moris est. *Nau. lo. cit. num. 177. Couar. loc. sup. cit. §. 1. quoad ingressum tamen orationis causa, videri potest Suarez loc. cit. sect. 4. num. 23. & per eum allegati contrarium sentientes.*

Interdictos etiam nemo vitare tenetur in humanis, nisi in Diuinis postquàm fuerit denunciatum interdictum. *Arm.*

- loc. cit. num. 1. Nauar. loc. sup. cit. cu. v. interdictum. §. 8. Interdicti non potest locus, ciuitas vel vniuersitas pro debito pecuniario, sine speciali mandato Papæ. Extrauag. prouidè. §. presentis. de sent. excomm. comm. quâ postea innouauit Clem. VII. Const. sua incip. Licet ea. de ann. 1530. Cat. Iunij. ad hoc Felin. in cap. sanè 2. num. 3 de off. deleg. An autem hæc prohibitio comprehendat tantum interdictum generale, & non interdictum locale particulare, videri potest Couar. loc. sup. cit. Suarez loc. sup. cit. disp. 36. sect. 3. num. 8. apud quem copiosissime disputatam inuenies hanc materiam. Hoc vnum hic addamus, quod interdictum non solum in totum potest relaxari, sed etiam potest suspendi ad tempus. vt notat gl. in cap. ad hæc. v. interdictum, de appell. & alia gl. in cap. presenti, de sent. excomm. in 6. licet excommunicatio suspendi non possit, nisi per Papam. vt notat Abb. in cap. dilectis. num. 23. de appell.
10. Contractus quoq; matrimonij tempore interdicti non est prohibitus. Abb. in cap. non est. num. 8. de sponsal. Arm. loc. cit. num. 53. & notat gl. in cap. fin. v. sacramentis. de sent. excomm. in 6. Solemnis tamen benedictio sponsi tunc dari non debet. Abb. loc. cit. Nau. loc. cit. in man. num. 179. & authores. cit.
11. Celebrans vel aliquē actū ordini sacro deputatum sciēter eo modo quo à laicis exerceri non potest exercens in loco interdicto, vel pro personis interdictis, præterquā in casibus cōcessis, vel ipsemet, interdictus existens, incurrit irregularitatem non nisi per Papam dispensandam, & inhabilitatis pœnam ad electiones. cap. is qui. loc. cit. in 6. Item & sepeliens interdictum cum officio & pompa & exequali solita in Ecclesia: censetur enim tum exercere actum ordini sacerdotali deputatum, & incurrere irregularitatem. Sylu. loc. sup.

ARTICVLVS XII.

De Suspensione.

- 1 *Suspensio quid sit.*
- 2 *Suspensio non fertur nisi monitione premissa.*
- 3 *Iudex quas pœnas incurrat ferendo suspensionem contra formam iuris.*
- 4 *Suspensio non suspenditur appellatione.*
- 5 *Suspensus ab vno ordine, non censetur suspensus quo ad reliquos.*
- 6 *Suspensio in tantum ligat in quantum exprimitur in sententia.*
- 7 *Suspensus quomodo incurrat irregularitatem.*
- 8 *Episcopus suspensionem non incurrit, nisi de eo expressa sit mentio.*
- 9 *Suspensiones contra Episcopos in iure expressa.*
- 10 *Suspensio an iure ipso incurratur, quomodo cognosci possit.*
- 11 *Suspensus ad tempus lapsa tempore ipso facto absoluitur.*
- 12 *Suspensio quando indiget absolute.*
- 13 *Suspensio per quem absoluenta.*

SUSPEN-